

7

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
CORNETTIDE.

Esoriparabundanzum.

QUAM

ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICAE
CONSENSU

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

TRADIT

FRIDERICUS RUMMEL DR.

LAUGHSTADIENSIS.

GOTTINGAE,

TYPIS J. C. BAIER, TYPOGR. ACAD.

MDCCCXV.



VIRIS

ILLUSTRIBUS ET EXPERIENTISSIMIS

JOANNI FRIDERICO
BLUMENBACH

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDIN.
BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REG. AB AUL.
CONS. MULTARUM SOCIETATUM LITT. SODALI,

ET

CAROLO HIMLY

MED. ET CHIR. DOCT. PROF. PUBL. ORDIN.
BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REG. AB AUL.
CONSIL. NOSOGOMII DIRECTORI, VARIARUM
SOCIETAT. LITT. MEMBRO

PRAECEPTORIBUS CELEBERRIMIS

SPECIMEN HOC

DICAT

AUGTOR.

Nostram aetatem non immerito cultiorem dici, ars quoque medica eo praesertim argumento probavit, quod ophthalmologiam in mitem ditionem redigebat, ejusque tutelam recipiebat. Rudibus imperitorum manibus oculum diu prodidere medici, quem tamen alma natura senem pulcherrimum in corporis superficie collocaverat. Auxilii plane expertis sexcentis stupidae arrogantiae laesionibus patuit; quam ob rem multi coeci jacturam irreparabilem sero deplorarunt lacrimisque prosecuti sunt. Jam lux et spes nova oborta, viri celeberrimi orbam adoptaverunt, jamque laetius viget.

Quae

Quae cum ita sint, eo magis doleo negligentiam quorundam, qui ophthalmologiam rem sibi alienam habent, quae ab iis postulari non possit. Verum multo majori noxae sunt, qui se penitus cognitam illam habere gloriantes, aegrotos turpiter fallunt, et oculi morbos verbis magniloquis potius quam rebus curare solent. Unam modo agnoscunt ophthalmiam, discrimina subtiliora docte negligentem; una omnes morbos coercet formula more antiquo sacrata. Ipsa experientia, (sic plebs loquitur), collyrii omnipotentis viribus favet! Quod concedo; miser enim ille, me hercule, qui cura hac medica semel egit, non iterum indigebit: nam ei aut morbi gravitate afflicto, aut adjutoris perversa ope oppresso ne spes quidem sanationis est. Pro dolor, saepius adhuc poetae verba summo jure laudamus:

Multos dura quies oculos, et ferreus
urget

Somnus; in aeternam clauduntur lu-
mina noctem.

Quid

Quid iis faciam, non habeo; et solum cum Horatio eos compellere licet: Odi profanum vulgus et arceque. Attamen quosdam esse, quibus humanitas adhuc condidit, qui errore modo capti hanc medicinae salutarem partem negligant, persuasum mihi habeo. Novum igitur studium in ophthalmologiam impendatis, monitisque innumeris tandem auscultetis, Vos etiam atque etiam rogo; humanitati enim hoc debetis, quae suppliciter ad vos confugit, omnemque salutem suam in Vestra fide ponit.

Cur vero ex anatomia causam dividendi sumserim, cur partem oculi singularem hac ratione ab aliis separaverim, ejusque morbum disjunctum explicaverim, methodo tanquam inutili, a doctis jam dudum vituperata, hoc quaerendi venia data est. Qua in re dissertationis inauguralis forma me excuset. Angustis finibus illa tenetur, atque maxime eo spectare videtur, ut rem neglectam studio et accuratiori observationi reddat, atque occasionem novas opiniones in medium proferendi praebet. Duplex hoc consi-
lium

Hum. optime sic jungi potest; at pars porro quaevis in structura et fabrica quid peculiare sibi habeat, a quo symptomata et cura pendeant, hoc accuratius hac ratione pertractatur. Multa adhuc de rebus, quae scribendi ratio leviter modo tangere jubet, dicere in promptu habeo, quae tamen in alio tempore differo. —

Præiusquam vero de singulari quadam inflammatione verba faciamus; quaestio, quae inflammationis natura et indoles sit, non inepte movetur. Haec autem in recognitione nostra multa desideranda relinquunt, *causa* nimirum conjecturae, sed has magnamur; cunctae enim sui systematis — ut paucis rem expediamus, hic commemorare lubet, verbis barbaris vel malae notae me saepius usum esse, et consulto quidem, quam jam recepta sensum brevius atque facientius reddant, — errores praese ferunt. Quod nemo mirabitur, ipsis symptomatibus, quae essentialia dicunt, falsa et perversa ratione saepe enumeratis. Me quoque nihil novi protulisse, libenter fateor, nec me pudet. Conjectura enim res factu facillima, vereor

rer vero, ne natura humano ingenio prompte obediat. Multis illis exemplis edoctus, errores detegere et refutare, praesertim eos, e quibus falsam indolem curamque petiverint, utilius censeo.

Omnes fere usque ad tempora recens, tiora in eo consentiunt, inflammationem proprium systematis sanguiferi morbum esse. Quum etiam ista sententia a plurimis recepta sit, tamen nihilominus falsa esse, alii jam monuerunt; sed argumentis iterum probamus;

Corneitidis mentionem primo loco injicimus; nemo anatomiae peritus, vasa sanguifera in cornea invenire potuit, ac ne in morboea quidem affectione, qua in aliis partibus sanguine repleta turgent, ista cernerè obicit; quae enim pro iis habuerunt, conjunctivae potius esse constat. Quomodo autem contendere quis possit variari quae non adsunt, equidem non intelligo. Chronicam unguinis inflammationem, quae formam maculae albi cantis simulare solet, obiter modo attingimus. Porro etiam plantas inflammari insitio

sitio et omnes fere earum morbi testantur, quibus vero certe nemo vasa sanguifera tribuit. Tum mutata partis forma atque fabrica unicum certum signum, inflammationem adfuisse praebet, sed ea cogitari non potest, nisi vegetatio alienetur. Vegetationi quidem vasa sanguifera materiam advehendo inserviunt, sed eam ab aliis corporis partibus ortum ducere, e plantis rursus intelligere licet.

Praeterea quoque inflammationis formatio longius temporis spatium semper requirit; quem autem characterem vegetatio maxime exhibet; quum contra sensibilitatis atque irritabilitatis morbi vehementissime statim exacerbescere solent. Causae denique occasionales praecipue res sunt, quae materiae mutationem subducunt, ut vires chemicae et mechanicae, contagia, miasmata, acida, alcalia, caloris frigorisque vices, vehemens contractio, stricturae etc. materiam vero mutatam cum vegetatione alienata congruere, jam vidimus. Morbi, qui inflammationem sequuntur et saepissime nil nisi variae ejus condi-

conditiones sunt, vegetationis indolem dissimulare nequeunt. —

His omnibus collatis contendo: inflammationem proprium vegetationis morbum esse. Quum vero vegetatio in omnibus organismis omnibusque eorum partibus ubique divulgata sit; quum porro cunctas partes nulla alia re tam constanter et universe constitutas, quam tela cellulosa varie scilicet immutata, reperiamus, ubi vasorum sanguiferorum nervorumque ne vestigia quidem adsunt: jure, ni fallor, ponimus, vegetationem cum tela cellulosa intime conjunctam, et in ipsa collocatam esse. Ex his itaque sequitur, ut causa inflammationis primaria in tela cellulosa quaerenda sit. Nihilo tamen minus in organismis perfectioribus et vasa sanguifera et nervos laedi posse, experientia docet.

Item huic sententiae symptomata optime respondent; omnia enim e tela cellulosa morbosa derivare possumus; illis exceptis, quae systema sanguiferum ac nervosum exhibet; quaeque nemo, his argu-

argumentis perfectis, desiderabit. Falsis igitur proscriptis, haec supersunt;

I. cohaesio mutata, saepissime nimis laxa.

2. coloris variatio.

3. functib partis alienata, vel debilitata, vel aucta, vel perversa ratione exhibit.

4. congestio humorum in partibus propinquis.

5. calor fortasse auctus, quem vero demonstrandum experientiae relinquimus. Ut etiam electricitatis conditio in inflammatione accuratius observetur, in votis est. — Alia symptomata in organismis magis perfectioribus occurrunt, ut sensibilitas aucta, et cum illa plerumque conjunctus dolor; et quae ex vasorum sanquiferorum morbosa afflictione oriuntur, rubor partis, et febris.

Quam vero in partem tela cellulosa immutatur? responsum omnibus numeris absolutum reddere adhuc non licet, fortasse

tasse nunquam licebit. In tenebris jacent sacra illa mysteria, quomodo fieri possit, ut vis et materia eadem sit; mentem humanam usque ad hos naturae recessus penetrare, vetitum videtur. Haec fortasse ad nodum expediendum aliquid faciunt:

Omnis res viva inicitabilitate gaudet, i. e. rebus externis affici, et in eas vim suam internam exserere potest. Haec vitae conditio in facultatem, qua fieri potest, ut a rebus externis impellatur, et vim in eas reagendi jure distinguitur, quarum illam receptivitatis, hanc activitatis nomine insignimus. Quamquam ambos factores natura inter se intime conjunxit, nihilo minus tamen in omnibus corporis humani aliorumque animalium partibus ex aequa parte divisi sunt; alter in his, alter in illis, praevalet. Haec ratione sensibilitas, receptivitate emittens in cerebro nervisque praesertim sedem habet; quum contra arteriae et musculi irritabilitate gaudent, ubi praevalet activitas. Sunt etiam partes, in quibus hos factores distinguere non possumus, in quibus in indifferentiam quasi reducti sunt;

sunt; tela nimirum cellulosa, quae igitur systema indifferens seu vegetativum audit. Haec indifferentia in summa puritate in unico puncto adesse potest; et ut quodvis punctum, juxta illud situm, ad praevalentiam unius factoris propius jam accedat, necesse est; quodsi etiam anatomia demonstrare nequit. Hoc discrimen natura in partibus propinquis manifestius jam deliniavit; ad polum irritabilitatis vasa capillaria, arteriis cognata, cadunt; vas autem absorbens functione de natura magis sensibili nos jam certiores facit.

Sic in statu sano se habet; sed haec indifferentia in inflammatione perturbatur, ejusque punctum aut ad polum activitatis, aut receptivitatis propius admovetur; tela cellulosa vel vasorum capillarum vel absorbentium naturam, ut ita dicam, induit, et illa porro arteriae aut venae functionem exhibent. Ex his sequitur, duplicem et typhosam, et synochicam inflammationem esse, eosque maxime falli, qui eam eadem methodo, vel remediis tonicis, vel antiphlogisticis curare student. Hoc ad simplicem, quae e. g. ex vulnere nascitur,

scitur, inflammationem explicandam sufficiat; sed quo modo inflammatio specifica, ut variolosa, syphilitica fieri potest? — Hic quantitas factorum mutata ad rem illustrandam non satis; qualitas ipsa vegetationis et materia alienata est, cujus vero cognitione plane caremus. Initio tamen illa incitatio mutata in tela cellulosa semper locum habet.

Multa de stimulis, quibus causa inflammationis tribuitur, disseruerunt; ut causa morbi proxima in loco afflicto solummodo quaeretur, hoc multi jamjam monuerunt, sed tota de his stimulis doctrina cultro critico adhuc eget. —

Ex his indicatio therapeutica facile cognoscitur, indifferentiae restitutio in tela cellulosa; quae fieri potest:

- I. dum factorem, qui nimis praevalet, debilitamus, hoc in inflammatione synochica praesertim in usum venit, ubi venae sectionem, nitri et aliorum salium neutrorum mediorumque usum mandamus; quo quidem receptivitas resurgit.

2. dum factorem, qui decumbit, in statum integrum redigimus; hac ratione in inflammatione typhosa opio, camphora aliisque roborantibus utimur; nam receptivitatem modo, alterum factorem augendo, imminuere possumus

3. dum vires adhibemus, quae cum indifferentia congruunt, eandemque in organismum propagare tendunt. Quae vero materia viribus istis excellit? Hujus rei inscitiam multi jam repererant, mercurii usum in inflammationibus commendantes.

De ejus efficacia quaedam. Salutares ejus vires in lue venerea millies experti, sed hujus morbi naturam ignorantes, conjecturas falsas in lucem ediderunt. Serum alii ejus usus periculum in inflammatione fecerunt, et in ea quoque vires paene divinas admirati sunt. Quæri non potest, utrum irritabilitatem an sensibilitatem augeat, nam aequè in synochica ac typhosa inflammatione utilis est, eamque sanat. Concludimus igitur, vim ei in haere-

haerere, quae indifferentiae favet, eamque auget, et rebus inimicis sollicitatam in integrum restituit. Vires salutares facile augemus, si hic opium, camphoram etc. addimus, illic aegrotos talem dosim sumere jubemus, ut diarrhoea exoriatur. Sic porro infantes scrofulosos et homines lue venerea funditus debilitatos eo roborari et laetiores vigere vidimus; cum contra febrim hecticam auget, sudorem colliquativum ciet, diarrhoeam movet et salivationem facit. Singulis exemplis hujus sententiae probandae locus non est; solummodo usum ejus salutarem in hydrope, amenorrhoea, morbis exanthematicis, scirrhis, cicatricibus aliisque commemorare juvat.

Mercurii usum internum in omnibus fere inflammationibus promiscue, excepta scorbutica, summo jure commendare possumus, praesertim si longius jam grassantur, et si mutationem qualitativam suscipiunt. Vires aliae, quas per longum tempus in corpore extendere solet, ventant, ne semper adhibeatur, remediis minus noxiis inventis. Multo cautius in

B locali

locali applicatione agimus, quae quidem parti irritamentum quoddam infert et structurae expansionem atque laxationem nimis augere tendit.

De Corneae structura.

Pauca adhuc de ejus structura anatomiae periti docent; nemo in ea vasa sanguifera et nervos demonstrare potuit. Ab anteriori parte conjunctiva tegitur, quae cum ea arctiori vinculo, quam cum albuginea, praesertim in margine cohaeret; ex quo causa petitur, cur pterygium hic finiri solet; tota vero conjunctiva apud serpentes, qui corium exuunt, disjungitur; a tergo tunica humoris aquei ei adjacet. Hae tres membranae in oculo sano singulatim demonstrari facile non possunt; et ipsi earum morbi, ubi se deant, medicos saepe fallunt. Cutis immutata videtur, membranis fibrosis non dissimilis, et iisdem morbis, quibus membranae fibrosae, ut lue, arthritide facillime

me afflicatur; eam igitur e tela cellulosa stipata constare credimus; lenta vita ei inest. Duas functiones habet, et lux per eam retinam petit, et ipsa oculi humores ex parte quadam includit; pelluciditas a certa quadam cohaerentia pendet; quae tamen in aliis animalibus tensor, in aliis laxior est. Cornea exsiccata in lamellas diffinditur. In senectute ex margine minus perspicibilis fieri solet: arcus senilis, gerontoxon.

Corneitidis symptomata.

Multa enumerarunt, quae quidem corneitidem saepissime comitantur; sed etiam aliarum oculi partium morbos testantur; propria haec sunt:

- I. Cohaesionis conditio immutatur, magis eo expanditur atque emollescit ita, ut interdum lardo similis appareat.
2. Dum pelluciditas a cohaesione certa pendet, ea perit, et cornea subalbicans, turbida, infincera cernitur.

3. Ejus functio tollitur, major minorve coecitas oritur; etiam nimis laxa et expansa cornea vim resistendi sufficienter exhibere nequit; ac humoribus, qui comparate majori vi propellant, cedit, acuminatur et staphyloma exoritur; si etiam humores morbose non aucti sunt.
4. Congestio humorum in partibus propinquis semper adest, sed in cornea, quae vasis sanguiferis caret, sensus nostros fugit, et tunc demum apparet, si inflammatio vehementior in alias membranas propagatur. Conjunctivae partem, quae corneam amplectitur, vasa sanguine repleta pretertant, eique ruborem impertiuntur, et singulis locis varicosa cernitur conjunctiva. Hoc phaenomenon eos ludit, qui ruborem ut peculiare corneitidis symptoma commemorant, sed errorem, si accuratius adspiciunt, facile invenient, vasis solummodo in superficie conspicuis. Vulnus purum, acutissimo instrumento illatum sine inflammatione sanari non potest; et tamen in homine sano ruboris ne vestigium

- gium quidem interdum reperimus. Verum etiam inflammatio lepta chronica omnis ruboris ita expers, ut initio non adnadvertatur, et sero cum macula corneae, vel e cicatrice vel a lymphae coagulabili inter membranas effusa, confundatur. Quod certe iis semper contingit, qui se magnas obscuritates pellucas reddidisse dicunt.
5. An vero etiam calor augetur? ex aliarum partium analogia conjicimus; sed experimenta accurata hac in re difficilia, et, ni fallor, nondum facta sunt.

Hactenus vera, quae puto, symptomata; omnia alia aut falsa, aut alterius morbi sunt. Huc pertinet dolor, qui modo abest, modo exiguus vix sentitur, modo vehementissime exacerbescens miserum fatigat, et in orbitae ossibus saepius adhuc quam in oculo ipso saevit. Eadem ratione photophobia se habet, quae in diversis inflammationibus per omnes vices geritur, et a typhosa affectione retinae atque nervorum ciliarium jure derivatur. Febris adeo eam saepissime comitatur, quae

quae aut inflammationem, aut quam inflammationem sequitur. De rubore interdum comitante jam antea sermo fuit.

P r o g n o s i s .

I. Corneitidis exitus felix unus est, si inflammatio omnino discutitur, et status naturalis, omnibus numeris absolutus, redditur; reliqui ejus functionem majus minusve laedunt, visumque vastant. Hunc exitum fore speramus in homine sano, vulnere puro, instrumento acutissimo facto; his conditionibus sanationem jam per dies augeri Keratonyxis, cataractae extractio docet. Omnino haec simplex, ut ita dicam, corneae inflammatio in angustiis finibus continetur, obtusa ipsa corpora per plures dies in cornea manentia totius corneae inflammationem efficere interdum non potuerunt.

2. In chronicam inflammationem sensim sensimque abit; ad hunc exitum provocandum maxime valet cura falsa, et ulcus corneae, quod semper stimulos infert, aut cilia oculo perpetuo adjacentia; tamen sine causa certa hunc exitum habet.

3. Abscessus oritur, et eo obscuratio corneae; quam ob rem ille et corneitis inter se saepissime permiscetur; atque quid sit, interdum dictu difficile est; nam et prominentia umbilicaris et ei, et corneitidi communis, si etiam gradu minori; ordo vero modusque morbi rem illustrat. Multo difficilior diagnosi est inter abscessum corneae et eum, qui inter corneam et conjunctivam sedem habet; certiores nos de hac re adpectus ex obliquo facit; etiam hic facilius deprimendus, partem inferiorem citius petit. Ejus causam inflammatio acuta e causis internis praebet, ut ophthalmia variolosa, sed etiam lenta in cachexia scrofulosa, lue venerea et arthritide oritur; atque laesio quaevis mecha-

meehanica in morbosa corporis constitutione hanc subducere potest.

4. Multo infelicius in ulcus seu exulcerationem corneitis finitur, quae omnem reparationem respuunt. Diagnostis inter hunc prioremque morbum sane difficilis; signa ulceris diagnostica frustra desideramus, quam ob causam ea cum cicatricibus adeo confuderunt. Ab obliquo diligentius intueri, et scorbiculus te certiore faciet, qui in corneae margine interdum circumrepat, et plerumque, si morbus jam dudum saevit, varicibus circumdatur. Plumbo acetico adhibito, praecipitatum albescens in ulcere novum signum affert, simulque profunditatem luculentius demonstrat. Multo manifestior, exulceratio totius corneae. Initium a vulneribus contritis atque impuris saepe ducit; sed vulnus purissimum cachectica hominis constitutione eodem modo finire potest. Conjunctivae etiam morbus in corneam saepe infertur atque propagatur; sic e phlyctaeis, ex ophthalmoblen-

moblenorrhoea, quam nomine ophthalmiae gonorrhoeicae, neonatorum, aegyptiacae insignimus, oritur; ad lentam exulcerationem ophthalmia arthritica, rheumatica, scrofulosa, syphilitica causam praebet. Si auxilio non succurrimus, corneam ulcus corrodit, et tunc aut prolapsum tunicae humoris aequi, aut humorum effluvium observamus, totusque bulbus collabitur; ubi hic exitus non minatur, leucomata tamen relinquuntur.

5. Peculiaris corneitis exitus est staphyloma, cujus formatio aneurismatis simillima videtur; cornea inflammatione laxa, viribus humorum comparate auctis cedit, natura congestione plus, quam solet, materiae advehit, quo processu in aliis partibus hyper-sarcosis, in cornea staphyloma consumatur.
6. inter lamellas lympha coagulabilis exsudat, et leucomatis species aliqua exoritur.
7. gangraena rarissima in cornea est.

8. Carcinoma oculi e corneitide initium nonnunquam capit.

Momenta causalia.

1. Laesio [mechanica] consulto et lege artis instrumentis acutissimis illata, aut forte cultro, forcipe, frustulis vitreis, pulvere, aristis accepta, aut diuturnum ciliorum in trichiasi irritamentum.
2. Vires chemicae noxiae, acida, alcalia, calx viva, oxydata, globuli ferrei candentes, pulvis sternutatorius etc.
3. Ex arthritide retrograda, anomala, lue venerea.
4. Ex metastasi, ut dicunt, variolarum, rubeolarum.
5. Ex morbo conjunctivae, qui crescens conatum quasi suum corneae impertitur, ut ejus inflammatio, phlyctenae, exulceratio, blenorrhoea.

6.

6. Cornea morbi particeps saepissime in ophthalmia typhosa.
7. Si e profluvio sanguinis suppresso, ut menstruatione, ophthalmitis oboritur, haec etiam corneam arripit.
8. Constitutionem epidemicam nonnunquam accusemus necesse est.

Variae corneitidis species atque cura per has indicata.

Quam inter se species differunt, tam diversa etiam cura; et in universum quid dicam, non habeo. In quibusdam topica cura sufficit, in plurimis cura interna adhibetur, illamque hic maxime urgemus.

- I. — Corneitis pars modo ophthalmiae synochicae est, cujus causam laesio mechanica, suppressio mensium etc. praebet; quod quidem symptomata et causae occasionales satis docent; hic tota methodus antiphlogistica, venae sectio, hirudines in regione ophthalmica,

mica, fomentationes frigidae, salia neutra.

2. — Saepius typhosa inflammatione oculus afflicatur, simulque igitur cornea, quam ob rem quidam in quavis corneitide opium commendant; quod etiam revera saepissime convenit, narcoticum nimiam sensibilitatem deprimit, et principio carbonico cognatum, contractioni favet; usui interno opium, camphoram, corticem peruvianum sumere jubemus.

3. — In inflammatione chronica hoc solum non sufficit; partis enim structura jam nimis alienata est; et metalla oxydata addimus, quae in vegetatione magis agere videntur, praesertim mercurium, zincum et cuprum. Verum non idem est, quod deligamus; mercurius laxam vegetationem subducere tendit, aptior itaque in corneitide lenta, ubi cornea cartilaginea apparet; ubi autem cornea luxuriat, zincum sulphuricum adhibemus; eadem cum conditione cuprum fortasse congruit; plumbum superficiem modo tangere vide-

videtur, et in initio morbi locum solummodo habet.

4. -- In vulnere puro, non penetranti natura nostrae artis auxilio saepissime vix eget. Oculo quietem, palpebris clausis, paramus. In vulnere penetranti cavendum est, ne iris prolabatur, neque aliae res in illud perveniunt, coagulationem celerem semper impediunt, ut cilia palpebrae inferioris. Hoc vitamus, si palpebra inferior, postquam superior jam prolapsa est, demum attollitur. Prolapsus iridis plerumque retrahitur, quod extr. Hyoscyami, aqua diluto, et in regione ophthalmica illinito adhuc juvamus, quoque simul iritidem prohibemus. Hanc felicem finem sperare eo minus possumus, quo impurius et magis contritum vulnus est, si etiam non penetrat. Aliquo tempore praeterlapso, partes laesae moriuntur, vulnusque amplius apparet, ophthalmia plerumque vehemens; ulcus ortum curam peculiarem requirit, tamen a cura inflammationis parum diversam, impri-

imprimis tinct. thebaicam c. solutione Zinci sulphurici.

5. — Corpora obtusa, ad quae praecipue cilia in trichiasi pertinent, corneae perpetuum irritamentum inferunt, quo modo varices conjunctivae oriuntur, et denique morbosa affectio in corneam propagatur. Irritamentum statim amovendum, in trichiasi cilia noxia primo eripimus, oculo tinct. thebaica, aqua satis diluta, instilletur, cui, si inflammatio magis chronica, structura omnino jam perversa, margines callosae sunt, merc. sublim. corros. addimus; in ulcere profundo et paene penetrante Zincum sulphuricum et ipsum saccharum saturni adhiberi malo. Maximum usum de varicibus in corneae margine disseccis vidi; quo facto, cura demum fieri potest.

6. — Si materia chemica oculum periculo objicit, ea diluenda, et quantum fieri potest, abluenda est, ad hanc finem lacrimae aptissimae, sin vero non sufficiant, lacte utimur.

7.

7. Arthritis anomala corneitidem lentam saepius subducit; cornea turbida apparet, bulbus plerumque ne rubescit quidem; quam ob rem morbi initium rarius observatur, aegrotus visum imminutum queritur; tunc varices, papulae et pustulae conspicuae sunt, ex his ulcera oriuntur, quae saepe penetrant, quaeque prolapsus iridis, atresia papillae, coecitas consumata sequuntur. Dolor in orbitae ossibus, qui illum in oculo ipso vehementia superare solet, et constitutio hominis arthritica de hujus inflammationis indole nos certiores faciunt. Ex vulnere in istis hominibus longe celerior atque vehementior sese explicat, cornea ut vallo conjunctiva laxa et rubra circumdatur. Cura antarthritica interna, terebinthina, Guajacum, Ammonium, Antimonium, mercurius, balsama naturalia et gummata ferulacea etc.; oculum linamentis contortis, quibus panum sericum ceratum interponimus, tegere, et praeterea solutionem bals. peruviani in spir. sal. dulc. et alcoholvini in regione ophthalmica illinire jube-

jubemus. Si dolor ferri potest, tinct. opii instilletur, cujus vim constringentem plumbo acetico augere interdum juvat. Corneitis ex arthritide retrograda totam ejus curam, camphoram, moschum, sinapisinos requirit; sed perfectam nullo medicamine cogimus, et sensus pulcherrimus doloribus vehementissimis perit.

8. — Corneitis syphilitica, non frequentissima, a lue inveterata ortum ducit. Cornea tota eo tempore obscuratur plus justo, si ad dolorem ruboremque respicis; inflammatio noctu exacerbescit, dolor etiam in partibus propinquis. Unguentum e Merc: solub: Hahn: regioni ophthalmicae affricetur; collyrio e merc. sublim. corros. c. opio utimur, et usui interno merc: sublimat: corros: commendamus, si aegrotus eum perferre potest; nam roborantia, Chinam addere saepissime cogimur

9. — Alia ratione ophthalmia gonorrhoeica se habet; terribile atque foedum illud venenum conjunctivae primam
vasta-

vastationem infert; tunc blepharoblenorrhoeam corneae inflammatio et exulceratio sequitur, et ex oculo corrosivo lens et humores mox prolabantur; et infelici rudimenta deformia restant. Hic diligentius agas, tincturam opii et ipsum liquor. anodyn: min: Hoff; non timeas; super palpebras linamenta intorta, solutione Merc. subl, corros. c. opio humectata ponas.

10. — Simili modo, lentior tamen corneitis e conjunctivae morbo oritur in ophthalmia neonatorum. Tota blepharoblenorrhoeae cura, Himly auctore: eam linamentis solutione Merc. sublim. corros. c. opio irrigatis, tepidis, super palpebras locatis optime coercemus; A. Schmidt contra extr. saturni, vitriolum album et spirit. Vini camphoratum magis commendat. Si lenta inflammatio manet, tincturam opii c. Zinc. sulphur: recte adhibemus.

II. — Hujus similis ophthalmia aegyptiaca videtur; cujus nomen tantum
C nosci-

noscimus, quâ de re nobis maxime gratulamur.

12. — In ophthalmia variolosa maxima corneae degeneratio olim orta est; prophylaxeos causa camphorae vapore veteres frustra usi sunt. Si variola vera, quod rarissime occurrit, in oculo sita est, ejus incisio noxia, meliore ratione agimus, si, nullo in oculis medicamine adhibito, exanthema recte curamus. Diligentius etiam topice agas in ea frequentiore, quam metastaticam dicunt; aliquot dies post variolarum exsiccationem oculus rubescit, cornea albescens lardum aemulatur; quod pro pure saepissime habuerunt, alvumque civerunt, et hac perversa ratione morbum multo aggravaverunt. Inflammationem vel staphyloma, vel corneae et totius bulbi exulceratio, et leucomata sequuntur. Initio statim balneae calidae, pedum lavacrum cum sinapi, empl, cantharidum camphora, opium, et tunc calomel; supra palpebras pannos solutione merc-sublim. corros. cum opio madefactos
pone-

ponere jubemus. Cornea tamen nimis laxa ac mollis ab usu mercurii locali nos prohibet; staphyloma oboriens tinct. thebaica, non diluta, penicillo allata coërcet.

13. — Eadem inflammatio rubeolas multo rarius sequitur, eandemque curam postulat.
14. — Inflammatio etiam in corneam phlyctænis ulceribusque conjunctivae in omnibus morbis, qui illa subducunt, praesertim in ophthalmia catarrahali, scrofulosa, rheumatica, et impetiginosa, infertur. In margine corneae saepius quam in media sedem habent; photophobia a corneae affectione minus, quam a statu retinae nervorumque ciliarium typhoso pendet. Curam in morbum primarium imprimis intendimus; mercurius hic magnas vires habet, quas modo camphora, opio, modo cicuta etc. augeamus. Oculo tinctura thebaica instilletur; cui, si oculus minus jam irritatus, zincum sulphuricum addimus.

15. — Si corneae conditio staphyloma minatur, usum medicaminum, quae cohaesionem augent, mandamus, ut opii, zinci sulphur: aluminis; quid enim, vim humorem propellentem minuendo, incisio parva juvat? —